Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

habitator; sed per ipsum et in ipso novo homini datum est principium, ut in uno dei atque hominis filio et sine matre deitas, et sine patre esset humanitas. Simul enim per spiritum fecundata virginitas sine corruptionis vestigio edidit et sui generis sobolem, et sue stirpis auctorem. Unde et temptans dominus sicut euangelista commemorat, quesiuit a iudeis cuius filium Christum scripturarum auctoritate didicissent, et eisdem respondentibus quod ex david ueniret semine traderetur, quomodo inquit david dominum suum illum david in spiritu uocat dicens: dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nec potuerunt iudei propositam soluere questionem, quia non intelligebant in uno Christo et progeniem dauiticam et naturam prophetatam esse diuinam. Maiestas autem filii equalis patri, uestiens se humilitate seruili, nec metuebat minui, nec indigebat augeri; ipsumque effectum misericordie sue quem restitutioni impendebat humane, sola exequi poterat uirtute deitatis; ut creaturam ad ymaginem dei conditam, a iugo dominatoris erueret. Sed quia non ita infra primum hominem dyabolus uiolentus extiterat, ut eum in partes suas sine liberi arbitrii consensione transferret, sic destruendum peccatum fuit uoluntarium et hostile con-